

dens non sit, sic enim intervenit necessaria connexio ad demonstrationem requisita, quæ ex parte effectus est connexio dependentiæ, ex parte autem causæ sufficit quod sit eminentia et connexio consequentiæ, et quanto major eminentia et independentia fuerit in causa, tanto certius manifestabit effectum, quia magis reddit illum dependentem a se, et subjectum sibi, et consequenter majore connexione firmum in dependendo, ergo magis demonstrabilem in manifestando.

XV. Deinde, probatur amplius ista conclusio, quia non est dubium pertinere ad beatos de facto videre aliquas creaturas, quidquid sit an possit de absoluta potentia stare beatitudo sine cognitione alicujus creaturæ in particulari. Nunc autem de facto aliquas videri negari nullo modo potest, et consequenter posse ex vi beatitudinis videri. Et probatur hoc suppositum, quia Joan. xvii dicitur: *Hæc est vita æterna ut cognoscant se Deum verum, et quem misisti Jesum Christum*, Constat autem quod in Jesu Christo misso includitur non sola divinitas, sed etiam humanitas, quæ aliquid creatum est. Pertinet ergo ad vitam æternam aliquid creatum cognoscere. Item in Concilio Senonensi in decretis fidei damnando illum errorem, quod sancti non orant pro nobis, ostendit Concilium quomodo sancti cognoscunt orationes nostras. « Quod facile, inquit, intelliget qui beatis pervium esse non ignorat uniforme illud divinitatis speculum, in quo quidquid eorum intersit, elucescit. » Et sic communiter theologi docent pertinere ad unumquemque beatum quod cognoscat ea quæ pertinent ad statum suum, ut affirmat D. Thomas iii p. q. x, art. ii et aliis locis quæ sequenti articulo citabimus. Hoc ergo præsuppositum verum est, quod

pertinet ad beatos ex vi status beatitudinis aliquid creatum cognoscere. Exinde fit argumentum. Quidquid creatum ratione beatitudinis cognoscitur, non pertinet ad objectum primum beatitudinis, hoc enim necessario est increatum, ergo pertinet ad objectum secundarium beatitudinis, ergo debet cognosci eadem visione, qua ipsum primum, si enim distincta cognitione attingitur, jam non erit secundarium objectum illius primæ cognitionis antecedentis neque primum, neque secundarium, quia nullo modo attingitur ab illa, de ratione autem objecti secundarii est quod attingatur, præsupponendo alius prius attactum per talem cognitionem, et sic attingitur secundo loco, et sic oportet quod eadem cognitione attingatur, in qua præsupponitur aliud prius attingi. Nec potest dici quod sufficit unam cognitionem causari ab alia, sicut cognitio scientifica conclusionum, quæ causatur a cognitione principiorum. Contra enim est, quia potius hoc facit in nostrum favorem, nam cognitio scientifica attingit conclusiones tamquam primum objectum respectu scientiæ, respectu vero cognitionis principiorum datur aliud primum objectum, scilicet veritates per se notæ exterminis, non autem dicuntur conclusiones objectum secundarium principiorum, quia nullo modo per illud lumen principiorum attingunt, sed per discursum, qui est distincta cognitio, et distinctum lumen a cognitione principiorum, et sic interveniunt ibi duo primaria objecta respectu diversorum luminum non unum primum et aliud secundarium, ergo si creaturæ attinguntur per distinctam cognitionem et lumen a cognitione beata, non attinguntur tamquam objectum secundarium illius, sed tamquam prima-

rium suæ, nullo autem modo attactum a cognitione beata. Præterquam quod cognitio scientifica quæ est distincta et causata cognitione principiorum, ideo hoc habet, quia inter principia et conclusiones est connexio deducibilis per discursum, et ideo ex una cognitione devenitur ad aliam. Quod si cognitio sit perfecta ut in Angelis, sine discursu per eandem cognitionem principiorum attinguntur conclusiones. Sed essentia divina secundum oppositos auctores non habet connexionem cum creaturis, nec potest illas inferre (et hoc est totum eorum fundamentum) ergo non potest ex visione divina causari distincta cognitio, quæ attingat creaturas extra Verbum causaliter, id est, cognitione, causata a visione, si quidem una cognitio non causatur ab alia nisi ratione connexionis alicujus, ut patet in cognitione conclusionum causata ex cognitione principiorum. Si autem una cognitio causatur ab alia in vi connexionis, si perfecta sit, eadem cognitione utrumque attingetur sicut patet in cognitione Angeli eadem cognitione attingentis principia, et conclusiones. Constat autem visionem beatificam esse perfectissimam et elevatiorem omni angelica cognitione naturali, ergo vel potest creaturas intelligere eadem cognitione formali qua Deum, si connexionem habent inter se, vel si connexionem non habent, neque eadem cognitione formali, neque causali attingentur.

XVI. Ultimo, probatur nostra sententia argumento deducto ex ipsa cognitione Dei, quia Deus cognoscit creaturas mediante sua essentia, tamquam ratione formali ipsius cognita, et tamquam specie repræsentante illas non immediate, sed mediante tamquam contentas in essentia seu derivabiles ab ipsa: ergo similiter beatus intelliget creaturam

in visione beata. Consequentia patet, quia beatus utitur divina essentia tamquam specie intelligibili: ergo eo modo quo ista essentia divina manifestat Deo creaturas, etiam communicata intellectui beati manifestabit illas, licet modo finito, quia non est amplius capax intellectus creatus; sicut species quæ repræsentat speculum, et quæ in illo continentur potentiæ visivæ perfectæ, etiam repræsentabit debiliori, licet non ita perfecte: ergo si essentia divina ipsi Deo est ratio repræsentandi creaturas tamquam medium, et causa prius cognita, etiam idem habebit in intellectu beati posita. Antecedens vero est communiter receptum inter theologos cum D. Thoma infra qu. xiv, art. v et vi et i cont. gent. c. XLIX, ubi dicit esse expressam sententiam S. Dionysii vii c. de divinis nominibus. Et vero Dionysius clarissime id tradit, et magnam ejus verba inferunt difficultatem oppositis auctoribus, dicit enim: « Quod divina mens non novit ea quæ sunt ex his quæ sunt, sed ex se et in se per causam rerum omnium cognitionem scientiamque anticipatam, et ante comprehensam habet. Non quod per speciem singula consideret, sed quod uno causæ complexu omnia sciat et contineat. » Et infra. « Se ipsam ergo noscens divina sapientia novit omnia. » Et sic colligit D. Thomas citato loco contra gentes: « Quod Deus cognoscit se ipsum tamquam primo et per se notum: alia vero sicut in essentia sua visa. » Unde sentit sanctus doctor quod essentia divina manifestat creaturas tamquam res prius cognita, et visa. Idque etiam probat ex illo Ps. ci: *Prospexit de excelso sancto suo*, quasi de se ipso excelso alia videns, inquit S. Thomas.

XVII. Ratio autem id manifeste probat, ut etiam ostendemus infra

disputatione xviii, quia Deus cognoscit perfectissime se esse causam totius entis creati: ergo habet in se sufficiens, et perfectissimum medium ad attingendum omnia causata, repugnat enim intelligere causam aliquam perfecte non intellectus effectibus, quos potest causare. Et urgentius hoc currit in Deo, quia impossibile est quod ad cognoscendum creaturas utatur aliquo medio extra se, si quidem ad cognoscendum creaturas, uti debet aliqua specie; ergo vel creata, vel increata, et si est increata, vel debet representare immediate divinam essentiam, et mediate creaturas, ut nos dicimus, vel immediate et ex æquo utrumque. Non potest autem cognitio illa haberi sine ulla specie, neque per speciem creatam. Nam species creata nequit informare intellectum divinum cum sit incapax accidentium, aut perfectionis creatæ. Sine ulla autem speciem etiam increata cognoscere objectum, ab omni philosophia alienum est, sicut cognoscere sine objecto, cum essentiale sit omni cognitioni quod a potentia et objecto pariat, et quod fiat trahendo objectum ad se, per assimilationem ad illud, non per inclinationem in objectum sicut voluntas: ergo requirit habere intra se objectum quod cognoscit, non in esse entitativo, et naturali, sed in objectivo, et intentionali, sive representetur immediate sive mediate, per propriam vel per alienam speciem; alias quod nullo modo est representabile alicui intellectui, non est ab eo intelligibile, quia non potest intra illum poni, eique conjungi intentionaliter, non est autem representabile nisi per aliquam speciem. Si autem per speciem increatam quæ est ipse Deus representantur creaturæ, non possunt ex æquo, et immediate cum ipsa divina essentia representari, quia cum sit

species increata non potest immediate representare tamquam proprium, et immediatum specificativum aliquid creatum, quia est infinitæ perfectionis in representando, et consequenter debet adæquari immediate et per se objecto ejusdem perfectionis, et intelligibilitatis, creaturæ autem in se sunt intelligibile finitum et limitatum, ergo non potest inter illas, et essentiam divinam esse immediata proportio et ex æquo, et consequenter primo debet representari ipsa divina essentia; præsertim, quia essentia divina non representat se ipsam tamquam quid distinctum a se, creaturas autem ut quid distinctum, et participatum a se: ergo non ex quo et immediate. Ac denique, quia una species non potest representare plura objecta nisi reducendo ad aliquam unitatem, et subordinationem, sublata enim omni unitate, et posita duplici representatione ex æquo diversa, consequenter solvitur unitas speciei representantis. Cum ergo species divina increata sit, oportet quod habeat pro objecto primario, et per se, et a quo sumit unitatem, ipsam divinam essentiam, creaturas autem respiciet non ex æquo cum ipsa divina essentia, neque immediate, sed ex subordinatione ad Deum, et tamquam objectum secundarium et mediatum. Et ex hoc manet probata secunda pars conclusionis.

XVIII. Respondent auctores oppositi ad hanc rationem, quidam negando antecedens, quidam consequentiam. Qui negant consequentiam, reddunt disparitatem inter Deum et beatos, quia Deus comprehendit se; comprehensio autem non solum respicit ea quæ necessariam habent connexionem objecto, sed etiam quæ ad ipsum quoquo modo pertinent, beati autem non comprehendunt Deum, sed solum quidditative vident, unde ex vi talis visionis

non cognoscunt nisi quæ habent necessariam connexionem cum ipsa quidditate Dei, qualem non habent creaturæ. Qui vero negant antecedens, scilicet Deum videre creaturas in se tamquam in causam exponunt Dionysium, et alios sanctos ut volunt, sicut bene dixit Suarez, libro secundo de attributis, capite xxv, numero xxi. Respondent ergo Sanctum Dionysium solum intendere, quod Deus cognoscit creaturas per species a creaturis acceptas, neque aliquo influxu ab illis deducto. Secundo, quod non attingit se, et creaturas distinctis cognitionibus, sed unica. Tertio, quod cognoscit creaturas in se ut in causa non prius cognita, et ut quod, sed in ratione motiva, et medio cognoscendi ut quo. Quarto, explicant in sensu materiali, et identico, quod Deus cognoscit creaturas in se, ut in causa, id est, ut in primo ente, et prima veritate, quod ens divinum est causa creaturarum. Vel etiam dicitur cognoscere in se ut in causa, quia non posset Deus esse causa nisi cognosceret, quia causat per intellectum et voluntatem. Unde dicit Div. Thomas infra quæstione xiv, art. v, quod necesse est omnes effectus, qui præexistunt in Deo, sicut in causa prima esse in ipso ejus intelligere, quia ipsum esse causæ agentis, scilicet Dei est ejus intelligere. Et iterum dicit ibidem articulo vii ad ii, quod Deus non cognoscit per causam quasi prius cognitam effectus cognitos, sed eos cognoscit in causa, id est, tamquam in medio quo cognoscendi, non prius cognito ut quod, favet ergo D. Thomas istis expositionibus.

XIX. Sed contra primam responsionem instatur, quia comprehensio Dei, licet postulet omnia quæ quomodo ad ipsum pertinent, vel cum eo habent connexionem, vel connotationem, tamen non potest

hæc omnia videre sine aliquo medio, vel ratione formali motiva vel specificativa per quam attingantur, comprehensio enim vere cognoscit, et sibi manifestatur cognitum, et ita penetrat rem aliquam quod nihil de ipsa, vel pertinentibus ad ipsam relinquit quod eam lateat. In Deo autem non est alia species vel ratio formalis, quæ ipsi comprehensioni ostendat creaturas nisi ipsa Dei essentia: illa habet vim representandi, aut manifestandi ea quæ quoquo modo pertinent ad Deum et per ipsam comprehensionem attinguntur, etiamsi connexionem necessariam non habeant cum illa: ergo citra comprehensionem non repugnabit, quod eadem divina essentia aliquas creaturas manifestet intellectui beati, licet non omnes, quia non comprehendit Deum; si enim divina essentia habet vim manifestandi omnes creaturas Deo comprehendenti, cur non habeat vim manifestandi aliquas, et non omnes intellectui non comprehendenti, sed suo modo penetranti? Divina autem essentia manifestat creaturas tamquam ratio et causa prius cognita, vel tamquam species mediate representans creaturas tamquam contentas vel causatas a Deo, cum sit species superior et eminent non adæquata, et propria creaturarum, ut jam ostensum est: ergo etiam divina essentia non repugnabit quod representet beatis aliquas creaturas tamquam causa, et res prius cognita, vel etiam ut species representans illas mediate, supposito quod in se habet vim representandi illas hoc modo. Circa secundam responsionem qua negatur antecedens quantum ad primam et secundam solutionem, verum est quod Deus, non attingit creaturas per species a creaturis acceptas, nec distincta cognitione se, et creaturas cognoscit, falsum est

tamen quod hoc solum dicat Dionysius cum non solum propositionem negativam dicat, scilicet quomodo non cognoscat, sed exprimat affirmativam, quod per causam rerum omnium cognitionem habeat, in quo Dionysius explicat perfectionem aliquam divinæ scientiæ, quod videlicet cognoscat res omnes per causas, hoc enim maxime pertinet ad perfectionem cognitionis et scientiæ, scilicet res per causas suas cognoscere, imo hoc solum est vere et proprie scire, scilicet rem per causam cognoscere, et hoc sine dubio Deo attribuendum est, alias perfecte non sciret, si non cognosceret res per suas causas. Hanc autem causam dicit Dionysius esse Deum ipsum, ergo tali modo debet cognoscere creaturas per se tamquam per causam, quod ex hoc possit reddere causam, et rationem eorum quæ cognoscit. Ad hoc autem non sufficit cognoscere res per causam cognitam solum ut quo, non autem ut quod, et ut res cognita, quia qui sic cognoscit aliquid per causam, quod potest ex illa reddere rationem talis effectus cogniti, sine dubio cognoscit sufficienter causam, tamquam rem cognitam, et ut quod, sicut patet, quando nos cognoscimus aliquid per causam reddendo rationem illius, tunc enim cognoscimus causam ut rem cognitam. Ergo cum Deus cognoscat creaturas vera et perfecta scientia, reddendo rationem et causam illarum, et ista causa est ipse Deus, qui continet omnium rerum rationes, manifestum est non posse explicari de cognitione causæ cognitæ solum ut quo, et non ut quod.

XX. Circa quartam solutionem non est quod immoremur, ipsa enim se prodit quam improprie et incommode explicet Dionysius in sensu adeo materiali. Nec salvat quod Deus ita cognoscat creaturas per

causam quod possit reddere rationem eorum, quæ cognoscit, quod tamen debemus salvare in Dionysio, alioquin non attribuemus Deo perfectionem scientiæ, quæ consistit in hoc quod res per causas cognoscatur. Unde quando dicitur Deum cognoscere creaturas in se ipso, ut in motivo et ratione formali, et tamquam in prima veritate, vel cum hoc conceditur etiam Deum cognoscere se ut causam creaturarum, ita ut possit ex se reddere illarum vel non. Si potest, ergo essentia divina se habet ut res cognita ut quod, quia sic manifestat effectum reddendo rationem ejus. Et si reddit rationem, cognoscit illam ut rem cognitam et ut quod. Si non potest, tollitur a Deo perfectio scientiæ respectu creaturarum, quia hæc postulat sic cognoscere aliquid per causam, quod per illam possit reddi ratio talis rei.

XXI. Quod vero dicitur Deum cognoscere in se ut in causa creaturas, quia non potest esse causa illarum nisi sit cognoscens, quam distorte et ridicule dicitur. Licet enim Deus sit causa per intellectum et voluntatem, tamen Dionysius non loquitur de eo, quod constituit Deum in ratione causæ, sed de eo, quod in Deo se habet ut medium manifestativum creaturarum, et quod se habet ut ratio quæ redditur de talibus creaturis per scientiam, et consequenter debet se habere ut res cognita, dicit enim: « Quod per causam rerum omnium in se, omnium rerum scientiam anticipatam habet; » quod non pertinet ad explicandum quomodo Deus sit causa, sed quomodo cognoscat causata per se tamquam per causam et rationem cognoscendi. D. Thomas non favet istis expositionibus, nam in articulo IV quæst. XIV, solum explicat quomodo effectus omnes contineantur in ipso intellectu divino, eo quod

Deus est causa agens per intellectum, quod verissimum est; inde tamen quomodo infertur, quod Deus non cognoscat creaturas perse tamquam per causam prius cognitam? Cum vero negat articulo septimo Deum cognoscere creaturas per causam prius cognitam, sed in causa, ly per causam solum negat discursum et multipliciter cognitionis, non medium cognoscendi, si quidem in causa ut cognita docet cognosci creaturas, non per causam quasi discurrendo.

XXII. Poterat in præsentem inquiri, an ad videndum creaturas futuras in Deo requiratur conditio decreti divini, an sufficiat sola essentia divina per modum speciei cum existentia extrinseca rei, sicut sufficit in speciebus angelicis representatio objecti cum existentia extrinseca concomitante representationem. Sed de hoc attingetur articulo quinto sequenti. Constat autem esse diversam rationem de speciebus angelicis, quæ representant rem ut factam a Deo non a se, et ideo sufficit quod res ut facta passive in se attingatur, et species illi conformetur, et sic representet eam ut passive factam, non vero est necesse quod representet ipsam actionem facientis, et ut tenet se ex parte Dei. Essentia autem divina non potest representare creaturas existentes vel futuras ut factas ab alio sed a se, nec solum ut passive factas in se, sed ut active a se, quia omni perfectissimo modo ut sunt factæ a se eas attingit; determinatur autem Deus ad illas faciendas per decretum suæ voluntatis. Non ergo potest representare illas sic, id est, ut futuras vel faciendas a se, nisi per decretum liberum, quod est causa determinans ad faciendum illas active, non vero per solam existentiam rei concomitanter et extrinsece se habentem illas attingit, quia hoc imperfectum est,

non attingendo illas ut a se factas.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XXIII. Primo, arguitur argumento supra insinuato, quod est fundamentum p. Vazquez, quia divina essentia non habet connexionem cum creaturis etiam ut possibilibus, sed est omnino independens ab illis, etiamsi illarum possibilitas deficeret, ergo non est sufficiens medium demonstrandi creaturas. Relatio autem rationis quam non in Dei intelligimus ad creaturas, non est medium intelligendi realem entitatem creaturarum, nec illa est in essentia divina, sed in intellectu nostro.

XXIV. Respondetur in primis debere hoc argumentum solvi ab oppositis auctoribus in ipsa ratione representandi tamquam species et medium quo divinæ essentiae, quod non denegant præfati auctores, cum non intelligat Deus creaturas per aliam speciem, quam per essentiam suam, et saltem ideam dari in Deo de creaturis negari non potest, et tamen currit eadem difficultas, quia si aliqua creatura reddetur impossibilis vel mutaretur representatio Dei, et idea qua modo representat illam ut possibilem, et sic aliquid Dei mutaretur ex mutatione creaturæ, atque adeo totus Deus; vel non mutaretur illa representatio quam modo habet, et sic esset representatio falsa, cum modo representet ut possibilem, et tunc non esset possibilis, quod est majorem imperfectionem irrogare Deo. Quod si dicatur illam representationem eminentia sua talem esse quod in se immutata, quando res est possibilis representat ut possibilem, pro statu vero impossibilitatis representat ut impossibilem, sicut eodem actu placet illi Petrus in gra-